



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De supellectile sacra: & quòd homini priuato vas sacrum tamgere non
liceat. cap. lxi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

tibi do. In nomine Iesu Christi surge, & ambula. Et protinus consolidatae sunt bases eius & plantae, & ambulabat.

5. Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia magna in plebe: ita ut in plateas eicerent infirmos, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum.
9. Factum est ut Petrus, dum transfret uniuersos, deueniret ad sanctos qui habitabant Lyddae. Inuenit autem ibi hominem quendam nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te Dominus Iesus Christus. Et continuo sanatus est.
14. Et quidam vir Lystris infirmis pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui nunquam ambulauerat. Hunc intuitus Paulus, & videns quia fidem haberet, ut saluus fieret, dixit magna voce, Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulauit.
16. Puella quaedam habens spiritum pythonem transeuntibus ipsis, clamabat, dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit, Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.
17. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit: & cum orasset, & imposuisset ei manus, sanauit eum.

De suppellectile sacra: & quod homini priuato vas sacrum tangere non liceat. H
CAP. LXI.

2. Reg. 6.



XTENDIT Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Domini.

1. Par. 15.

Dixit Dauid: Non licebit ferre arcam Dei, nisi solis Leuitis: quoniam Deus elegit eos, ut ministrarent in seculum.

2. Par. 26.

Restiterunt sacerdotes Oziae regi, & dixerunt: Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino: sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis.

De supplicantibus: & quod orantium supplicationes admittere oporteat.
CAP. LXII.

2. Reg. 19.



SEMEI autem filius Gera, prostratus coram rege, cum iam transisset Iordanem, dixit ad eum: Ne reputes mihi Domine mihi iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui, in die qua egressus es Domine mi rex de Hierusalem. Et dixit rex, Non morieris. Et iurauit ipsi.

3. Reg. 13.

Extendit manum suam Hieroboam, dicens, Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit eam retrahere ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari iuxta signum quod praedixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.

4. Reg. 1.

Iterum misit principem quinquagenarium tertium. Qui cum venisset, curauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait, Homo Dei, noli despiciere animam meam, & animas seruorum tuorum, qui mecum sunt. Locutus est autem angelus